



125

Q. D. B. U.

AD

AVDIENDAS

DVAS

# ORATIUNCULAS VALEDICTORIAS

IN

*Gymnasio Merseburgensi*

*Die XXVI. Septemb. M DCC XV.*

ab hora secunda post meridiem habendas

*Summos Misarum Martisburgensium Patronos,  
Inspectores atque Fautores*

quo par est

CVLTV & RITV,

*invitat*

**ERDMANN VHSE, Rector.**

---

MERSEBURGI,

Literis CHRISTIANI GOTTSCHICKII, Typ. Aul.





**E**ntium vel per transfennam qui aspe-  
xit possessiones; non ignorabit, eas inter occur-  
ere, quas eruditi *Pignorum Publicorum* insignire  
consueverunt titulo, offensorum cum apud *Israë-*  
*litas*, tum apud *Gentiles* atq; *Christianos*. Nec  
hospitem quidem in historia sacra præterire puto eam in Pande-  
ctis divinis tam decantatam *Arcam fœderis*, ceu pignus ejus fœ-  
deris, quod cum populo Israëlítico ierat DEus, & Arcam Testa-  
menti appellatam, quia erat publicum Testamentum seu Testi-  
monium pacti inter DEum & homines fœderis, cui & digna tanto  
pignore reverentia exhibita, ædes structa, templum destinatum,  
custodia addita & ministri selecti ad laudes DEo coram ipsa dicen-  
das; de Numinis sanctissimi eloqviis, quæ ipsum Judæis credide-  
rat, aliisque sacris quam plurimis, gentis istius pignoribus, brevita-  
tis studiosus in præsens tacebo. Non minus Gentilibus sua fuere  
pignora publica; inter quæ mirum quantum claruit antiquissimum  
illud Trojanorum *Palladium*, salutis Publicæ eorundem sigillum,  
regiminisqve custos, ut *Suida* vocatur. Cælo id delapsum Scri-  
ptores Ethnici passim prædicant, alii tamen, ut *Pausanias*, de eo  
dubitant, Græci Historici Christiani pro figmento habent, veram  
originem *Asio Mago* transcribentes. Posthac Romani idem sibi affe-  
runt Imperiiqve statuerunt Pignus, dubii licet, quo autore qua-  
veratione acceptum. Eorum alterum Imperii Pignus fuit *Ancile*, iti-  
dem cœlitus, ut credebant, demissum. Ad orbis Ethnici Pignora refer-  
tur quoq; *Diana Ephesina imago*, quam cælo delapsam esse, nonnulli  
ex Act. xix, 35, colligunt; an vero Ephesi eam pro Salutis Pignore co-  
luerint, de eo nihil certi constat. In Thracia ejusmodi Pignora Sa-  
lutis sive Tutelaria avertendis Barbarorum invasionibus condita,  
sed *Constantii Imperatoris* jussu sublata fuisse, ex *Olympiodoro* di-  
scimus, *Vexillum Muhammedicum* huc imprimis spectat, quod Tur-  
cæ perhibent *Gabrielem Angelum Muhammedi* in victoriarum si-  
gnum attulisse, ideo & hodiernum in *Gazophylacio Constantinopo-*  
*litano* custoditur, & in Publicis necessitatibus palam expositum om-  
nes septennio majores ad arma sumenda obligat. Quanto in  
pretio *Edeffæ* quondam fuerit *Servatoris nostri Imago*, dono à Do-  
mino cum literis *Abgaro* missa (num vera, merito ambigitur) ne-  
minem forte, historica primoribus duntaxat qui attigit labris, fu-  
giet. Migrantibus ex Oriente in Occidentem succurret, in Hispa-  
nia olim Regum Gothicorum tempore Pignorum loco habita fuisse  
*Arcem* illam & *Arcam fatalem* *Toleti* custoditam, quippe qua clau-  
sa saluum fore Hispanorum regimen, referata, idem concussum iri  
creditum fuit, nec defuit, quod testatur historia, vulgatæ opinioni  
eventus



eventus. In Gallia prædicantur tria de cælo missa Regni Gallici sem-  
piterna Pignora, *Scutum Liliatum*, *Phiala Odorata* & *Vexillum splen-  
didum*: Sed *Scutum Liliatum* & *Vexillum* seu *Auriflamma* nunc  
fere in ipsa Gallia fide sua excidere, eaque nulla probati Scriptoris  
niti autoritate fatentur Gallorum multi à partium studio alieni.  
*Phialam* quod attinet, seu *Ampullam Remensem*, vti a loco cu-  
stodiæ vocant, illa non alium quidem locum apud viros egregios  
ipsoque veritatis amantes Gallos passim accepit, imo temporibus  
Henrici IV. Galliarum Regis parum aberat, quin fides ipsi abro-  
garetur omnis: attamen sub Ludovico XIII. publica autoritate re-  
ducta, nummi que in ejus inaugurationem sparsi, quorum *Aversæ*  
manus insculpta *Ampullam* e cælo porrigens, additis verbis: *Fran-  
cis data munera cæli*; postea quoque inauguratione Ludovici XIV.  
denuo veluti confirmata fuit. Angli Scotique *Lapidem*, cui Iaco-  
bus Patriarcha olim indormisse dicitur, pro Pignore colunt ma-  
jori quidem vulgi opinione, quam publica autoritate, attamen &  
hac non profus nulla. *Danebrogæ* vexilli apud Danos cælitus de-  
lapsi, adeoque Pignoris eorundem, rarior apud Historicos mentio,  
quam tamen resuscitavit Serenissimus Danorum Rex Christianus  
V. instaurato Equitum *Danebrogæ* ordine. Serenissimis Domi-  
bus Austriacæ, Anhaltinæ & Sabaudicæ sunt peculiare Annuli,  
quos ad instar pretiosissimorum custodiunt Pignorum. De *An-  
nulo Austriaco* legimus apud *Lambecium Biblioth. Cas. L. I. f. 43. ex au-  
ro*, quod Magi Christo obtulerunt, fabricatum, ejusque admi-  
randam hanc fuisse virtutem, ut tempore belli oraculi instar consu-  
leretur & victoriam insolito ac plus quam naturali splendore por-  
tenderet, cumque altari impositum, cum Anno Domini MCCCXXIII.  
coram Imp. Friderico, Imp. Rudolphi I. nepote, ante initium infeli-  
cis illius prælii cum Imp. Ludovico Bavaro habiti, Sacra celebra-  
rentur, ex omnium oculis evanuisse, ac tandem post multorum  
annorum decursum in Austria repertum atque Alberto Contracto  
redditum fuisse. De *Annulo Sabaudico* nos docet *Fabricius Origg.  
Saxon. L. IV. f. 474.* Petrum Magnum, Comitem Sabaudicæ,  
Agaunum adiisse, ut Martyrum Legionis Thebææ inspiceret mo-  
numenta. *Ibidem*, inquit, *impetravit annulum Divi Mauriti, quo  
in hunc diem pro insigni utuntur Duces Sabaudicæ. Nam quicumque  
possidet eum, etiam Principatus possessione uti solet, jam solenni more  
consuetudinis.* Anhaltino de *Annulo* narrantur sequentia: Princi-  
pem Anhaltinam ex puerperio decumbentem solamque subinde  
relictam vidisse aliquoties rubetam infra lectum prorepere & sub  
mensa lecto appolita micas panis aliasque ciborum reliquias sol-  
licite conquirere, cumque id sæpiuscule fieret, delectatam studio  
animalculi panem trivisse, micasque ei sparsisse, quæ satiata deinde  
ad



ad consuetum sub lecto diverticulum se receperit. Finitis a puer-  
perio proximis septimanis solaque iterum Principe manente, fores  
conclavis primo pulsatas, mox puellam ingressam, salutemque  
Principi a rubeta, quam dominam suam dixit, precatam gratias  
egisse pro cibo Dominae suae eo usque praebito, & una in redho-  
stium eius manus obtulisse annulum futurae prosperitatis Do-  
mus Anhaltinae, quam diu custodiretur, pignus futurum, additisq;  
de arce certis temporibus diligentius custodienda monitis quibus-  
dam discessisse; narrationes istae suis relicto sunt locis. Alia Re-  
rumpublicarum Pignora recensere & temporis & chartae prohibet  
angustia: Celebratissimi illius *Cornu Oldenburgici* aliqua adhuc  
jacienda esset mentio, at de eo mei loco publice faciet verba in  
patriam suam gratissimus civis, *Gottfried Bruhns, Fevera-Frisius*,  
qui abhinc sesqui anni spatio e paternis aedibus optime educatus  
literisque bene institutus ad nos missus, tantos indefessa diligentia  
in studiis fecit progressus, ut nunc plurimum Reverendi Parentis  
sui jussu e Gymnasio nostro Academiam optimo jure petere queat.  
Mire profecto delectatus sum Juvenis istius, dum intra parietes  
meos degit, vita & actionibus, quippe sine ullo monitore, sola  
conscientia ductus, Dei perpetuo fuit reverentissimus, bonarum li-  
terarum proborumque morum amantissimus, & paternorum  
mandatorum cum cura observantissimus, Parentem suum opti-  
mum ~~absentem~~ colendo tanquam sibi semper praesentissimum.  
Annuat supremum Numen coeptis ejus benignissime, quo eadem  
ad optatum pertingant scopum. Huic in perorando & Musis no-  
stris valedicendo contingit socius *Friedrich Carl Melzer, Zoven-  
kaviensis*, patriae suae aequae ac prior studiosissimus, inde & de *Cornu  
Copiae terrarum Misnicarum* praesentibus Auditoribus dicere, eoq;  
facto Scholam nostram suorum suavisu relinquere & ad Academica  
studia sese accingere in animum induxit suum; Faxit Deus ter opti-  
mus, ut labores ejus in Gymnasio nostro coepti felici cum succes-  
su in Academia continerentur. Cum itaque hi duo Academiae  
Candidati majori cum alacritate sint peroraturi, si habeant, qui ipso-  
rum benignis auribus ac mentibus excipiant verba, omnes & sin-  
gulos, qui rei nostrae Scholasticae aut cum cura praesunt, aut eidem  
non invident, qua decet observantia & humanitate rogo, ut Actum  
hunc valedictorium praesentia sua gravissima ne dedignentur.  
Addent eo & dicturis & mihi animum, ut illi promptius loquantur,  
ego pro exhibito hocce favore summo promptius inser-

viam. *Merseburgi, Die XXV. Septemb. Anni*

M DCC XV.